

# **CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM**

---

ATURENSIS et AQUENSIS

BEATIFICATIONIS seu DECLARATIONIS MARTYRII

SERVAE DEI

## **MARGARITAE RUTAN**

SORORIS PROFESSAE

FILIORUM A CARITATE S. VINCENTII DE PAUL

(† 9.IV.1794)

---

## **DECRETUM SUPER MARTYRIO**

“Servaverunt me ut moriar” (*Positio super martyrio* p. 78). Sententia a Serva Dei in captivitate pronuntiata demonstrat heroicam sororem recte scire quam gravem sibi perseverantiam in fide et recusationem jurisiurandi a Galica civili perturbatione impositi futuram esse. Cum hortata sit ne sacerdotem, qui aliquibus momentis ante illam martyrium suscepit, videret, forti animo respondit se non timere ut innocentem moriturum inspiceret. Carnifici, qui impie ei velum detracturus erat, dixit: “Nullus homo me tetigit umquam”, hoc modo demonstrans, uno tempore, fidem et virginitatem suam.

Margarita *Metis* (*Divoduri*) die 23 Aprilis anno 1736 nata est,

pueritiam et iuventutem in magnanimo, obsequenti ac pio familiae munere degit. Fere in anno duodevigesimo aetatis suae clare percepit magnum desiderium Domino consecrandi vitam et consilium ingrediendi in Sodalitium Sororum Filiarum a Caritate familiae nuntiavit; sed aegre expectavit ademptionem vicesimi et unius anni, priusquam pater eius ut ea ad postulandum proficeret permisit, quod autem Margarita in valetudinario Sancti Nicolai Metensis explevit. Confecto hoc tempore, tribus mensibus postea, iuvenis soror pervenit ad domum majorem Filiarum a Caritate iuxta Lutetiam Parisiorum, ad cursum institutionis explicandum, ostendens suam consecrationem ad pauperum ministerium secundum consilium et afflatum Sancti Vincentii de Paul. Exacto hoc tempore, soror Margarita a Congregatione nova mandata accepit iuxta plurimos valetudinarios in Gallia, in quibus optime ministerium suum erga aegrotos adsecuta est praecipue in magnis oppidis *Pali*, *Setii Promontorii*, *Augustodoni*, *Brestiae*, *Calonesi*, *Fontis Bellaquei*, *Blaviae*, *Trecassium*, in quibus constanter omnibus aegrotis cuiusvis sortis assidebat.

Sed *Aquarum Augustarum* in valetudinario (non longe ab oppido *Podii Sancti Vincentii* in quo ipse Sanctus Vincentius natus erat), Dominus eam exspectabat ut ad martyrium ea feliciter expediretur. Episcopus illius loci, duobus valetudinariis coniunctis, ut curam illius loci susciperent petiit alias Sorores Filias a Caritate, quae autem *Aquis Augustiis* iam ab anno 1712 sedem haberent. Illo tempore, Soror Rutan quadragesimum et tertium annum aetatis suae agens, experientia viginti et duo annorum tam vitae consecratae quam copiosi ministerii plurimis et magnis in oppidis totius Regni valebat.

Hoc in loco, illa magno animo et generose scientiam et experientiam suam profudit, gubernantium, aegrotorum et fere totius civitatis *Aquarum Augustarum*, admirationem necnon magnam existimationem movens.

Sed condicio, incipiente illa Gallica Civili Perturbatione, magis magisque gravis et intolerans erga sorores, sacerdotes et ipsos christianos evasit. Die 3 Octobris anno 1793 omnes sorores inservientes in valetudinariis et scholis iurare novis rebus publicis aut ministerium demittere coactae sunt. Filiae a Caritate in valetudinario *Aquarum Augustarum* iusiurandum recusaverunt, soror Rutan accusabatur quod ipsa corrumperet et relaxaret sua civica neglegentia animum rerum publicarum eversionis et imperii popularis militum, qui in valetudinariis curabantur.

Consilium salutis publicae accusationes sustinuit et eam declaravit odiosam Patriae, adversariam tam principiorum rerum novarum quam civitatis, superstitionem et nobilitatis fautricem. Post haec, die 24 decembris anno 1793 Soror Margarita in vinculis comprehensa est. Post quattuor menses captivitatis Margarita, una cum sacerdote Lannelongue comite martyrii, ad consilium salutis publicae ut accusatio legeretur producta est. Serva Dei, illigatis in tergo manibus, invicem in dorso fune astricta est una cum sacerdote Ioanne Eutropio Lannelongue ita ut vir et uxor omnibus viderentur. Cum primum ad patibulum pompa se movit, statim Soror Margarita “Magnificat” canere incepit; ad martyrium amaritudine cordis sed conscientia divinam voluntatem efficiendi accessit. Erat autem pomeridianum tempus diei 9 mensis Aprilis anno 1794. Certo incessu gradus Guillotinae machinae scandit; deinde, flexis genuis, caput submisit omnino parata ad letalem plagam accipiendam.

Statim post mortem martyrii fama Servae Dei consolidata atque annorum decursu aucta est. Quamobrem Processus Ordinarius Informativus infra annos 1907 et 1908, deinde Processus Apostolicus ab anno 1916 ad annum 1922 celebrati sunt, quibus accessit Inquisitio diocesana apud Curiam Aturensem et Aquarum Augustarum ab anno 1995 ad annum 1997. Cuius iuridica validitas per decretum huius Congregationis de Causis Sanctorum diei 17 mensis

Octobris anno 1998 approbata est. Sed, cum haec Causa longum tempus conquiesceret, die 12 mensis Ianuarii anno 2010, positivo cum exitu, Historica Commissio huius Dicasteri habita est. Die 17 mensis Aprilis anno 2010 Congressus Consultorum Theologorum Servae Dei martyrium confirmavit ut et ipsi Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 1 mensis Iunii anno 2010, audita expositione Ponentis Causae Ex.mi Domini Iusti Mullor García, confirmaverunt.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Archiepiscopo Praefecto certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servae Dei Margaritae Rutan, Sororis Professae Filiarum a Caritate S. Vincentii de Paul, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 1 mensis Iulii A.D. 2010.

✠ ANGELUS AMATO, S.D.B.  
Archiep. tit. Silensis  
*Praefectus*

L. ✠ S.

✠ MICHAËL DI RUBERTO  
Archiep. tit. Biccarensis  
*a Secretis*